



SOCRATES Sophronisci statuarij & Phanaretæ obstetricis filius fuit. clarebat anno mundi 3531. ante Christum natum 431. hic veram Philosophiam esse prædicabat, *seipsum cognoscere, talemque esse debere hominem, qualis vellet videri.* Philosophiam naturalem deseruit, vt moralem amplexaretur. Constantissimus ille, nec tristior nec iucundior vnquam visus est. pauperculus quidem extitit, at verò ab Apolline omnium sapientissimus dicitur iudicatus. In huius signo sculptum erat, *hominis amicum esse, idipsum sapere: inimicum autem, desipere.* Inuidia non caruit: accusatus est ab Anyto diuite, Melito Poëta, Lycone oratore, quòd malè de diis sentiret. Intrepidus coram iudicibus stabat, nec voluit quam ei parauerat orationem Lysias, orator percelebris, ad sui defensionem, pronuntiare: quinimo ad bibendam cicutam damnatus, eam sumpsit intrepidè. Athenienses tandem delatores eius occiderunt: æneamq; statuam ei erexerunt, quam in templo collocarunt. Cice. li. i. de Orato. Aelianus, Plin. libr. 7. August. de ciui. Dei, li. 8. ca. 3.

XANTIPPE, vxor fuit Socratis, quæ cum molestissima esset, atque aliquando post nimios clamores & iurgia, sordidam aquam in caput illi iecisset, haud ægrè ferens respondit, *Sciebam post tonitru venturam pluuiam,* interrogatus ab Alcibiade Socrates cur tam acerbam vxorem domo non exigeret, quoniam, inquit, cum talem domi perpetior, insuesco vt aliorum foris iniuriam feram. Vide Gel. li. i. cap. 17. & Apophtheg. Eras.